



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

§. III. An valeat consuetudo optandi meliores præbendas?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

nitatis naturali, non autem solius juris positivi.

§. III.

An valeat consuetudo optandi meliores præbendas?

1759. CASus hic proponitur in c. *fin. h. t. in* 6. ubi Pontifex mandavit, ut Titio provideretur de præbenda proximè vacatura in tali Ecclesia, executione mandati commissà Cajo. Evenit autem, quòd vacaret una ex melioribus præbendis; Cajo autem mandatum providendi Titio executioni dare volenti opposuerunt se Canonici, allegantes consuetudinem, quòd ubi in sua Ecclesia vacaret melior præbenda, Canonicis antiquioribus liceret eam optare, seu eligere secundum ordinè, ut si primus nollet eam optare, posset secundus, & sic deinceps. Re ad Pontificè delata *consuetudo approbata est*, cum mandato, ut Titio provideretur de præbenda, quæ post Canonicoꝝ optiones remanserit, modò illa huic alio titulo debita non fuerit, ut constat ex textu ibi: *si mandamus alicui provideri de præbenda, nulli alii de jure debita, proximo inibi vacatura: hujusmodi non obstante mandato, poterunt ipsi antiquiores juxta consuetudinem eandem optare, cum præbenda vacabit, & illa, que optata non fuerit (si nulli sit debita) erit illi, pro quo scripsimus, conferenda.*

1760. Circa hujus facti contingentiam, & jus desuper firmatum, notandum cum Layman in cit. c. *fin. num. 6.* huic consuetudini non esse locum, quando contingit, præbendam vacare in Curia Romana, vel ubi est reservata. Nam inferiores sicut per legem, ita nec per consuetudinem à se introductam juri Summi Pontificis derogare possunt, c. *Inferior, 14. dist. 21. & c. Innotuit, 20. de elect.*

1761. Not. 2. dictam consuetudinem obtinere in beneficiis ad Papam devolutis. Nam hæc devolutio relinquit ejusmodi beneficia in sua natura, & qualitate; ergo si optione eorum ex consuetudine locus erat seclusa devolutione, obtinebit etiam eam supposita; ita D. Antoninus in cit. *fin. num. 12.* Francus *num. 7.* & alii. Not. 3. ne prætextu dictæ consuetudinis provisiones auctoritate Apostolica faciendæ, ultra debitum differantur, statui, ut executores

Tom. I.

super ipsis provisionibus deputati, optare volentes, per viginti dies duntaxat expectent: quibus elapsis liberè in non optatis ad exequenda sibi mandata procedant præfata consuetudine non obstante.

§. IV.

De quibusdam consuetudinibus jure canonico in specie reprobatis.

EX illis prima est consuetudo, quæ 1762. per se, ac directè magnum gravamen imponit Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis; tales enim esse irritas, & ut tales declarandas esse, constat ex c. 1. *h. t. ibi: consuetudines, quæ Ecclesijs gravamen inducere dignoscuntur, nostra nos decet consideratione remittere.* Unde etiam Urbanus VIII. in sua constitutione incip. *Romanus Pontifex, 5. Julij, 1641.* apud Fagnanum in c. 1. *h. t. à n. 60.* reprobat, & irritas decernit omnes consuetudines, tam Ecclesijs, quàm Ecclesiasticis personis, eorumque juribus, ac bonis, & fructibus præjudicantes. Nam ejusmodi consuetudines, vi quarum Laici prætendunt jus aliquod in bona etiam temporalia Ecclesiarum, vel in personas Ecclesiasticas, earumque possessiones, perpetuò reprobatae sunt sub gravissimis pœnis, & non solum juri humano tam canonico, quàm civili, sed etiam divino adversantur, ut manifestum est ex dictis. à n. 616. V. infra n. 1767.

1763. Secundò reprobatur consuetudo, ut in causis Ecclesiasticis decidendis, ubi quaeritur, *quid juris sit?* admittantur etiam illiterati, seu minus intelligentes cum jure suffragij, quod vim obtineat ad decidendam causam post utriusque partis querelas hinc inde auditas, c. 3. *h. t.* ubi Innocentius III. sententiam, quæ taliter fertur, vocat latam à Judice non suo, quæ nullam habet firmitatem; & consuetudinem, ut tales in ejusmodi quaestionibus admittantur resolvendis, nullius momenti, quòd canonicis obviet institutis.

1764. Reprobatur 3. consuetudo, quòd Superior Ecclesiasticus in causis, saltem civilibus, debeat judicare juxta consilium, aut sententiam populi sibi subjecti. Et ideo populus, dum se subjectam profiteatur, nulla consuetudine, vel præscriptione obtine-

Bb b